



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XI. Si qui in persecutione fidem negantes sacrificare compulsi sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
CHRISTI
431.

VI.

Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus, iuxta magnam Synodum esse episcopum non debere.

Iuo patr. 5.
cap. 74.
Conc. Nic.
Can. 6.

VII.

Hos qui se carnali vitio repugnare nescientes abscidunt, ad clerum peruenire non posse.

Dist. 55. Hi
qui se car.
nali.

VIII.

Si quis excommunicatum alterius, siue clericum, siue sæcularem, recipere post interdictum præsumperit, nouerit se reum fraternitatis factum, causam in Concilio redditurum.

IX.

Nouatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta pœnitentiæ credulitate præteritum damnet errorem.

X.

De his qui in persecutione præuaricati sunt, si voluntarie fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, vt quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communicantes: ita vt communionem inter pœnitentes non præsumant. in potestate tamen vel arbitrio sit episcopi, vt si eos ex animo errorem deslere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipiat.

Conc. Nic.
Can. 11.

XI.

Si qui vero dolore victi, & pondere persecutionis, negare vel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter pœ-

nitentes habeantur a communione suspensi.

ANNO
CHRISTI
452.

XII.

De his qui in pœnitentia positi vita excefferunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

XIII.

Nullus cuiuscumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non episcopus, quacumque occasione faciente, propriam relinquat ecclesiam: sed omnimodis aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quod si aliquo commorationis tempore, invito episcopo suo, in aliena ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

XIV.

Si quis clericus pecuniam dederit ad vsuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus a clero, a communione alienus fiat.

XV.

In secretario diacono inter presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsentem presbytero tradere non præsumat. Quod si fecerit, ab officio diaconatus abscedat.

XVI.

Photinianos, siue Paulianistas, secundum patrum statuta baptizari oportere.

XVII.

Bonofiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum